



**Commentariorvm, Ac Dispvationvm In Primam Partem
Sancti Thomæ Tomvs ...**

Complectens ad viginti sex Quæstiones priores, centum & septem
Disputationes in Capita diuisas

Vázquez, Gabriel

Antverpiæ, 1621

[Cap. II. Multa quoque per accomodationem ab Euangelistis recitari putat
Iansenius.]

[urn:nbn:de:hbz:466:1-80983](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-80983)

ad Sanctos martyres Ioannem, & Paulum. In eundem modum Thob. 2. accepit verba Amos 8. *Dies festi vestri conuertentur in lamentationem, & luctum*, & liber primus Machabæorum c. 1. ad eadem verba alludit cum inquit: *Dies festi conuersi sunt in luctum*. Hic modus tractandi Scripturam Sanctis Patribus frequens est in concionibus, & homilijs ad populum idemque vtilissimis: verba enim Scripturæ miram quandam grauitatem, & energiam præ se ferunt, ita vt ad persuadendum sint accommodatissima: & quæ hæcenus diximus, sine controuersia sunt. Difficultas tamen non levis est hac nostra ætate inter Scripturæ peritos, an aliqui loci Scripturæ per accommodationem ab Euangelistis recitentur, de qua in sequentibus dicendum est.

Vnus accommodatissimus, & patribus frequens.

CAP. II.

Multi quoque per accommodationem ab Euangelistis recitari putat Iansenius.

Iansen. Sunt nonnulli viri grauissimi, qui multa etiam, quæ alias prophetica videbantur, in Euangelio per accommodationem vsurpari affirmant. Ita Cornelius Iansenius in concordia Euangelica c. 11. censet verba illa, Osee 11. *Ex Aegypto vocaui filium meum*, ab Euangelista Matthæo cap. 2. recitari, quæ ad litteram ita dicta putat de populo Israelitico, quem filium suum per Oseam Dominus appellauit, vt nec mystico, & secundario sensu de Christo intelligantur. Idem docet de illis verbis Isaia 29. quæ refert Matthæus cap. 15. *Populus hic labijs me honorat, &c.* & de illis Isaia 6. *Auditu audietis, & non intelligetis*: & Psal. 77. *Aperiam in parabola os meum*, quæ citat Matthæus cap. 13. non alia (inquit) ratione, quam quod optime quadrarent in ea, quæ tunc gerebantur. Primo quidem, quod populus Iudaicus labijs tantum Christum honoraret, corde vero longe abesset, sicut idem populus tempore Isaia, Deum labijs tantum honorabat. Secundo, quoniam iidem Iudæi aure corporis verba Christi percipiebant, sed mentis intelligentia non ita capiebant, vt illis ad salutem prodesse id quod alijs etiam tempore Isaia eodem modo contigit. Tercio, quia Christus Dominus tunc vere loquebatur per similitudines, & parabolas, sicut etiam Asaph auctor illius Psalmi suo tempore: demum illud Ieremias 31. *Vox in Rama audita est*: quod refert Matthæus 2. cap. non alio modo putat Iansenius accipiendum.

*Isaia 29.
Matth. 15.
Isaia 6.
Psal. 77.
Matth. 13.*

*Ierem. 31.
Matth. 2.*

CAPVT. III.

Omnia testimonia veteris testamenti in sensu literalis recitari ab Euangelistis, alij affirmant.

Probant Contra vero alij non minus docti, & pii viti sententiam Cornelij tam acriter reprehendunt, vt temeritatis nomine censeant, non quod existiment à sacris Scriptoribus aliam scripturam sacram per accommodationem nunquam vsurpari (id enim dici non posse exemplis manifestis probatum manet) sed quia prædictos scripturæ locos ita refert Matthæus, vt tanquam veras prophetias in testimonium eius, quod narrat, asserre videatur. Id quod duabus probant rationibus. Prior est: Matthæus voluit scripturæ testimonijs suam

Matthæum per accommodationem non fuisse usum testimonij prophetici.

historiam confirmare, quam à multis præsertim Iudæis legendam, & impugnamam sciebat: friuolum autem esset, Scripturæ testimonia per solam accommodationem in confirmationem proferre, maxime contra Iudæos, Euangelij, & Christi aduersarios. Nam præterquam quod locus per accommodationem nihil probat, sed solum rem ipsam quodammodo illustrat, perinde etiam posset ex quocunque prophano auctore suo instituto, & narrationi verba accommodare.

Posterior ratio: si Euangelista dixisset, optime in eam rem, de qua agebat, quadrare illud Isaia, aut Ieremias, aut psalmi, indicasset profecto per solam accommodationem testimonia illa vsurpasse: at vero cum dicat: *Bene prophetauit de vobis Isaia*: & rursus, *Adimpletur in eis illud Isaia*; & iterum, *Vt adimpletur, quod dictum est: aperiam in parabolis, &c.* demum; *Vt adimpletur, quod dictum est à Domino per Prophetam, Ex Aegypto vocaui filium meum*: cogimur sane sensum propheticum in prædictis testimonijs intelligere. Hæc enim phrasis, & modus loquendi in locutionem accommodatam non recte conuenit. Si enim aliquis volens significare miram alicuius patris in filios sollicitudinem vsurparet illud Virgilianum: *Omnis in Ascanio chari stat cura parentis*, dicere posset, quadrare in ipsum Virgilianum illud, *Omnis, &c.* At impletum esse in ipso illud Virgilij, non solum in præteritis, sed etiam falso diceretur: & multo minus dici posset, recte propheta fuisse de illo Virgilium. Modi ergo loquendi Euangelistæ, quos retulimus, aliquod amplius, quam accommodationem, & verborum allusionem indicant.

Quare putant Theologi iam allegati pro secunda sententia non solum testimonia citata non esse per accommodationem accipienda, nec solum in sensu mystico, & spiritali, qui & supponit literalem, & secundarius est: sed etiam prophetice in sensu literalis intelligenda. Quia tamen negare non possunt iuxta litteram, & historice ea omnia alijs etiam rebus conuenire, affirmant in vnoquoque illorum duplicem esse sensum literæ æque proximum. Quocirca illud Osee 11. *Ex Aegypto vocaui filium meum*, & de populo Israel, de quo sine dubio propheta loquebatur, & de ipso Christo, non per figuram, sed prophetice dictum putant: sicut docuit Abulen. qu. 57. super 2. cap. Matthæi. Eodem pacto duo alia testimonia Isaia de hominibus vtriusque seculi, Isaia nimirum, & Christi, eodem vitio laborantibus, interpretantur. Illud vero psalmi, de auctore psalmi, & de Christo: denique testimonium Ieremias, *Vox in Rama* de captiuitate Babylonica, quam Rachael, hoc est, mulieres illius regionis deplorabant, & de cæde puerorum innocentium historice intelligunt. Idem asserunt de illo 2. Reg. 7. quod citat Paulus ab Hebr. 1. *Ego ero et in patrem, & ipse erit mihi in filium*, vt de Salomone, & de Christo accipiat. Propterea vero sensum mysticum admittere nolunt, quod ad confirmandam veritatem Euangelij nihil roboris habeat: id quod præsertim locum habet in hoc postremo testimonio, quo Paulus contendit diuinitatem Christi contra Hebræos demonstrare.

Secunda ratio.

4.

Virgil.

*Osee.
Sub vna littera duplicem litteralem sensum latens.*

5.

Ierem.

Sensum mysticum in his locis cur non admittant.

CAP.